Fundatio Cartusiae Vallis gratiae prope Brugas, auspicijs Roberti Bethunij Comitis Flandriae.

Aedificata est haec Cartusia ex collecta donarijsque populi, nullo certo fundatore
nisi quis cum Marchantio Historiographo velit fundationem eius ad Robertum Bethu=
nium Flandriae Comitem referre, de quo sic ait: Robertus Bethunius Comes
Flandriae Cartusijs Coenobijs tam benevolus fuit, ut horum in Flandrijs initia
ad eius tempora deducantur. Certe fundamenta prima domus huius ipse propria
manu iecit, more rituque solemni fundatorum, quibus haec praerogativa defertur.
Et eius nepos ac successor in Comitatu Ludovicus benignus astrum domui huic
affulsit. Fundata est autem anno 1318 teste Meyero in Annalib. Flandriae,
& mediocribus sensim aucta successibus eius possessio creuit in terra; quamvis
cum vicina gleba saepe conflictata, & cum mari quoque dissidium illi fuerit
quod illi hodieque commune est cum tractu Flandriae trans-ammanae. Initiatores
& dedicatores huic missi sunt ex valle S. Aldegundis spectatae virtutis Religiosi;
quos inter D. Joannes Maldeghem Prior clarior ceteris fuit. hic sicut magnes
ferrum, ita vitae suae vocali exemplo mox ad professionem nascentis apud se
Cartusianismi suaviter plures non contemnendae conditionis viros allexit,
quorum primitiui fuere M. Daniel de Alneto Praepositus quondam S.
Martini Ipris, & alter Monasterij Sti Andreae Praepositus, Robertus quoque
Canonicus Regularis Formolocensis Ecclesiae. His accesserunt alij atque alij
secundum strepitum saeculi non inferiora sequuti. Quorum unus vir Consularis
D. Petrus Adornes, omnis sanctimoniae praecipuum exemplar, ex praeclara ducum
Genuensium familia, post reditum ex Palaestina, in quam bis traiecit & ad
Sinai montem usque penetrauit, post fundatam a se Brugis Hierusalem
abdicans se Magistratu, curisque saeculi, tandem suaui iugo Christi se subdit
in hac Cartusia factus Clericus Redditus anno 1445. in qua & se confirmavit
usque ad obitum per annos novendecim patiens inediae, laboris, et vigiliarum,
factus omnibus forma virtutis & verae Cartusianae vitae ex animo. Obijt in
hac domo anno 1464. Reliquit filium D. Martinum Adornes pietatis et
professionis suae heredem, qui optimi parentis secutus vestigia pro magnitu=
dine animi sui semper huic domui studuit & consuluit, qui deinde Prior
ab omnibus electus, cum magna laude praefuit usque ad annum 1507. quo vita
pariter & officio defunctus est venerabilis senex plenus dierum & bonorum
operum. Quorum exemplo motus Nobilis Dominus Guilielmus naturalis
filius Illmi Guilielmi Sexti Bauariae Ducis, Comitis Hollandiae & Hannoniae,
relicta uxore, reiectis omnibus impedimentis saeculi nomen similiter huic
domui dedit, factusque Clericus in hac professione vitae perseuerauit
ad obitum usque qui incidit in annum 1450. Haec breviter perstringimus,
ne ex sollicitudine ignorantiae videamur haec commemorare. His autem
ex singulari misericordiae suae dispensatione Dominus iuxta vaticinium

Prophetae

ARCHIVES GÉNÉRALES DU ROYAUME — BRUXELLES

Prophetae dedit in domo sua locum, & nomen melius a filijs & filiabus; qui
coelestem ac Angelicam vitam in terra hac meditati sub obedientia Ordinis
incurvati sunt, velut colles mundi, sicut Propheta ait ab itineribus aeternitatis,
in quam die ac nocte iugiter defixi facile contempserunt quicquid horrendum
fuit & asperum in hac valle Aialon in qua quilibet obediens obedientem sibi
Deum habuit, ac imperare soli potuit & dicere, quod Josue dixit: sta. & lunae
contra vallem gratiae ne moveraris. Hic ex varijs nationibus in unum collecti
plurimi alij viri virtutum vixere pariter; cum enim ad hoc celeberrimum
emporium & Belgij Athenaeum esset concursus variarum gentium, Cartusiam
non pauci frequentabant, immergebantque se solitudini, ex qua oculum animae
ad eam vitam erigebant, in qua gloriosae veraeque delectationes sunt usque
in finem. Per tria secula quibus stetit, viros tulit sanae praestantis virtutis,
quibus & aliae domus initia sua debent, ut Ultraiectina, Gandensis & aliae;
quorum etiam dexteritate & maxima rerum gerendarum prudentia Cartu=
siensis Ordo noster in tenore vitae sacrae confirmatus est difficillimis tempo=
ribus, qui cum natura sua labilis sit, sicut & alia quaevis Religio, nunquam
adeo sibi constare potuit, nisi per eos confirmaretur, qui virtute ceteris
anteirent, & orandi, legendi, scribendi studiosiores essent, quorum ingenijs
animatus profecit & se suosque inter diuturna schismata divisionesque,
ne dicam factiones populorum, confirmavit./. Quantum antiquariorum
manu calligraphiaque valuerit, adhuc monumenta loquuntur, quantum
doctrina, pietate, rerum coelestium meditatione; Locus ipse quamvis in
aeternas solitudines redactus adhuc spirare videtur, & nescio quid divinum
afflare non otioso nec oscitanti Numinum observatori. Et nunc licet
pulvis & umbra tantum sint in oculis nostris, tamen per in honoram sepulturam
non est ipsis ablata sed data dignitas, qua & accedentes valent quoque sanctifi=
cari & occultae sanctitatis igniculis inflammari. Hoc abbreviato verbo paren=
tatum sit illis, quorum merita nulla temporum iniuria potuit funestare
Excisa est haec domus anno 1578. tuncque per quadriennium, quo civitas in
potestate haereticorum fuit, confusum est labium huius imo universae
terrae, fas versum atque nefas, abiuratus a quibusdam habitus & Ordo Eccle=
siasticus; quo tempore contigit lamentabilis casus Hipperij, cuius funestum
exemplum serviet fortasse futuris aetatibus, & erit documento posteris, ne
quis deinceps audeat proprijs nimium fidere viribus, dum lapsum eius
attendit, qui ut altissime ascendit, sic descendit quo profundius non potuit

Circa annum autem 1608. & sequentem procurante V. P. Ghisberto
Bathusio domus huius tunc Priore locum obtinuerunt nostri in civitate
a sua Celsitudine Alberto Flandriae Comite, cum hactenus in Refugio tantum
habitassent. Transmigrationis huius tanto visa sunt auspicatoria initia,
quanto & locus & domus iam ab olim Deo sacra, magis viribus nostris aptari posse
videbatur. Ad reaedificandam hanc domum iuvandam hodie non pauci opes & operam suam
offerunt. O si tempora mitescant aliquando si statum antecedentium priorum
memoria